

salutem à Viperis habitam significabat. Hæc alia numismata testantur, Cai Tetrici Impe. M. Æmil. Claud. Salus Augusta dextera habens pateram, cum Serpente. Max. salus, cum Serpente. Antonini, & Faustinae cap. cum inscriptione Græca, ex altera Æsculapius cum Serpente baculo in voluto, Salus dea cum Serpente, & patera se mutuo ascipientes, Antonin. & Æsculapius, cum baculo amplexo dracone, qui sanitatem curasset. Æsculapius cum baculo, & Serpente in argento, & ære. Innumera alia nunc omitto, & signa, statuas & gemmas, ne tædio afficiam longa antiquitatum narratione. Idem apud Hebræos accidisse legimus, & Serpentis trunco impositi aspectu Israëliticum populum à morte liberatum fuisse. Idem quoque apud Ægyptios animæ & corporis salutare symbolum fuit: serpentes pariter mutuam sibi afferre opem cum quadam herba, qua alter alteri vitam reddat, quod in historijs tritissimum est. Non igitur mirum, si morituro homini serpētis culpa aut dolo, opem & vitam ferat longiorem, unde parato jusculo, aut vino, aut stillaticia aqua, aut Theriaco sale, vel solo viperarum cibo, ad comparandam vitæ longitudo, aut ad præcavendos, vel curandos venenatos quosq; morbos apud antiquos in